

V C  
3373



Q

F  
M

F  
H  
M



Q. A. 21. 6.

*208 Georg Meissner*

I 31

V c  
3373

Humilis Acclamatio

AD SERENISSIMI ET POTENTIS-  
simi Domini,

Dn. IOHANNIS GEORGII,  
DVCIS SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ ET  
Montium, Sacri Romani Imperij Archimarschalli & Electro-  
ris, &c. Domini nostri Clementissimi felicem & exopta-  
tum ingressum in suæ Serenitatis oppidum  
CYGNEAM,

pridie festi sanctorum Angelorum, Anno  
Christi 1619. quo & sequentibus diebus clementissimè  
Is habuit, tum omnes subditos, tum verò præcipuè summos Rei-  
publ. præfectos, CONSULES, DAVIDEM PITZSCHIVM,  
I. V. D. & supremum ærarij Ecclesiastici Inspectorum: &  
MICHAELEM KRATZBEERIVM, itidem Iuriscon-  
sultum & Syndicum, ita vt ambos simul aureis monilibus, quæ  
pectorales imagines vulgò appellant, cum omnium bono-  
rum applausu & congratulatione dona-  
ret, ornaret.



Excusa ALTENBURGI IN MIENIA,

Anno M DC XX.

444



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

EXCUSA ALTERNATIVE

Anno M. DC. XX.





*Alve festa dies, roseis invec̄ta quadrigis  
Salve perpetuis commemoranda typis.  
Qua tantus rursus succedit sedibus ho-  
spes*

*Tamq̄ diu optatus, chara Cygnea, tuis.  
Scilicet Elector, cui non Virtute secundus  
Est Princeps alius, vel pietate prior.  
Est is Iohannes (memor esto) Georgius, illud  
Summum Saxonix sidus, et ara suis.  
Imperijq̄ decus totius, et ampla columna  
Ex V Vitikindæo sanguine stemma trahens.  
Jam quater hic septem Pastoris munere fungor  
Annos, Leucorea missus ab æde Cygnis;  
Et trado sacri documenta salubria verbi,  
Ex patrio Christus qua tulit ipse sinu.  
Sed non sic memini cives ferventer ovare,  
Nec tantum tota Jubilum in urbe fuit.  
Non sic natorum pertentant gaudia pectus,  
Quando peregrinis fortè reversa locis  
Mater in amplexus illorum fertur, et omne  
Cor dans, prosequitur pignora amore novo.  
Non sic agricola plaudunt, quando imbre fugato  
Longo, iterum Phœbus lumine lustrat agros.*

Successu exultant magnates, civis in auras  
Carmina gratanti voce sonora jactit,  
Et pleno laudes divinas predicat ore  
Servus, Christe, tuus, quem pius ardor agit.  
Undiq; latificis plausus circumvolat alis,  
Et plebs festivos ducit ubiq; choros.  
Nam Dux & Patriæ Pater optimus optima verè  
Subjectis cupiens, gestit adesse suis.  
Imò vt non desit quicq; & sit gratia major,  
Effigie donat Consulem utrumq; sui.  
Devoteq; sacris operatus ritibus, auro  
Puro ad templorum vult radiare tholos.

**H**ermundorum sedes Cygnea, Patrono  
Pro tali assiduas concipe mente preces.  
Et benè apud memorem tanti stet gratia facti,  
Nec tua Lethæus proluat ora liquor.  
Numinis æterni non parvum agnosce favorem,  
Et tantum, vt debes, ritè tuere decus.  
Cum primis PITZSCHI, Themidos celeberrime pulle,  
Et CRATZBEERE sacri juris ocelle foro.  
Vos tanti herois qua sit Clementia, clarè  
Perspicitis, CHRISTVS servet utrumq; diu.  
Sic de promemus sanctarum munera laudum,  
Quàm diu in his terris nos superesse volet,

Qui

Qui ius in manibus gestat vitæq; necisq;

Et confert justis optima quæq; viris.

Nam multum est tabulis accumbere Principis, est

Illi auro fulvo posse placere dato. (plus

Maxime Septemvir, Dux clementissime, sacri

Ensifer Imperij, totius orbis honos:

Thesaurus noster post Numen es unicus, & Spes

Et lux es nobis, delitiumq; manes.

Quando serenato sic se tua gratia vultu

Extulit, & roseum sparsit in urbe jubar.

Desinet esse prius contrarius ignibus humor,

Et Mulda ad fontem versa recurret aqua,

Quàm Cygneorum decedas pectore. Qui non

Hoc dignè agnoscat, (spondeo) nullus erit.

Certè nulla tuas abolebunt secula laudes,

Quas peperit Virtus hac tua magna tibi.

Non ego, si biberem secure pocula Lethes,

Excidere hoc credam pectore posse meo.

Et benè si possem, canerem praconia, multis

Et magnis meritis debita jure tuis.

Ambirem Musas, totusq; Heliconam moverem.

Hac vice, simplicitas sed mihi Franca negat.

Pauperiore fluit venà mihi Carmen, & omnes

Ingenij vires jam perire seni.

A 3

At

At vos qui facitis Germana per oppida Versus,  
Perfusus Charitum Pieridumq; manu,  
Totoq; Aonios fertis sub pectore fontes,  
Turbaq; dulcisonum pangere docta melos;  
Induite in laetos vos vultus, atq; decenter  
Insignes artes huic adhibete rei.  
Pastor flecto genu supplex, ad sidera vocem  
Et cor extollens sic gemo, sicq; precor:  
Aspice nos placidis oculis, quibus aspicias omnes,  
Qui tua non dubio Numina corde vocant,  
CHRISTE, magistratum terris his protege summum,  
Progenie regum nobiliore satum.  
Quem pietatis amor flammis caelestibus urit,  
Et vera atq; ingens est gregis umbra sui.  
Defendit graviter caeli monumenta salutis,  
Et seruos multo nutrit honore tuos.  
Te, verbumq; tuum vera pietate professos,  
In quacunq; potest parte vel arte iuvat.  
Et ne forte vrenda filix incommodet agris  
Sacris, ut custos prospiciendo cauet.  
Diligit impense pariter cum plebe Senatum  
Divitibus clypeus pauperibusq; simul.  
Proq; tuis ovibus caput objectare periculis  
Non dubitat, quoties res ita seva jubet.

Ergo



*Ergo fac, aligero cœtu stipatus ubiq̃,*

*Christe, tuam quo vis tempore cernat operam.*

*Ah hunc cum natis & dulci Coniuge serva,*

*Serva Saxoniam, Christe benigne, domum.*

*Et validos illis sani da corporis artus*

*Atq̃, omnes morbos precipe abesse procul.*

*Quin etiam optatis rerum successibus augens*

*Da semper placidis cymba feratur aquis.*

*Arce que, veteris stimulante furore Draconis,*

*Hæretici turpi spargere fraude solent.*

*Quando tegunt mirè placida se veste bidentis,*

*Sed scelerata lupi monstra rapacis alunt.*

*Pax sit Christi adum per mutua fœdera genti,*

*Cum Mavors dubius miscet ubiq̃ manus.*

*Aspiciat leto bona sors non candida vultu,*

*Qui cives nostra hac membraq̃, in urbe sumus.*

*Suffice clementer nobis, quorum indiget usus,*

*Mœnibus & nostris pelle venena, famem.*

*Cumq̃, per adversas agitur fortuna procellas*

*Nostra, magisterio tu moderare tuo.*

*Serva rem sacram, J E S U, servaq̃, prophanam*

*Cum patribus matres, cum puerisq̃, senes.*

*Sic tua florebit faustis Ecclesia rebus,*

*Vnanimi terris consociata fide.*

*Ergo*

*Pressa*

Pressa modis varijs, Et fessa senilibus annis,  
Splendebit nimis exonerata malis.

Atq; ego vitales dum Spiritus hos reget artus,  
Ingentes grates, pectore lætus, agam.

Imò ut idem faciant alij quòq; , sedulus ipsis  
Semper ob officium suavor Et autor ero.

O bone Christe, tui fortis defensor ovilis,  
Nutibus eveniant hæc ita cuncta tuis.

facta à

Vito Wolfrumio D.P.

& Superattendente  
ferè emerito.

No. 37/3 OK



72

ULB Halle  
004 803 507

3



V9 17





Q. 21.6.

AD SEP

Dn. IOH  
DVCIS SA  
Montium, Sacr  
ris, &c. Don  
tum in

Christi 1619  
Is habuit, tum o  
publ. praefectos  
I. V. D. & su  
MICHAEL  
sultum & Syndic  
peccatorales in  
rum

Excvs

I 31

V c  
3373

TIS-

RGII,  
LIVIAE ET  
lli & Elesto  
& exopta  
um

no  
lementissimè  
è summos Rei-  
TZSCHIVM,  
rectorem: &  
idem Iuriscon-  
onilibus, quæ  
nium bono-  
na

SNIA

